

RÉVAI MIKLÓS LEVELEI PAINTNER MIHÁLYHOZ.

— Hetedik közlemény. —

63.

Nicolaus Michaeli Suo Salutem.

Nosti, quam sint molesti transmigrationum apparatus. Nihil ob hos potui ad tuas literas rescribere. Sed quo sit loco res tua, mihi mandata, iam dudum satis, probeque cognouisti ex Scobelio tuo: vt silentium meum aequo animo ferre potueris. Ego, volente cumprimis Patrono, Pestinum ita me contuli; vt prima Augusti, nisi Mechanismi Formalitates aliae impedirent, officium nouum commode adirem; ne per autumnii ferias beneficio, mihi dudum debito, carerem. Impedimenta sum reuera expertus nonnulla, ab imbellibus opposita. Heri tandem, 26 Augusti, sunt ea superata. Iam introductus sum, *ego tanti nominis*, vt vos nugamini, *Litteraturae, et Linguae Hungaricae Professor Publicus Ordinarius in Regia Scientiarum Vniuersitate Pestinensi*. Quare mihi laetum applaudite, hocque munus felix faustumque precaminor *Patria cumprimis causa*¹ Vide, quam me magna spirantem reddideritis votis vestris frequentibus, magisque amicis, quam iustis.

Immortales tibi gratias ago de amico subsidio. Ita tum eram anguste constrictus, vt vel Posenio aegre fuerim abiturus cum decore, nisi tu mihi opitulatus fuisses. Erant quidam et Viennae opportune in me benigni: Patronus, Sándor meus, Görög, Junior Princeps Eszterházius, et huius Mater. Expunctis Viennae debitis omnibus tutus discessi, et comparato necessario ad cathedram meam apparatu, ac viatico satis commodo; cuius reliquiis etiam valetudinem firmare coepi ad labores, qui me non modici manent, balnei vsu diligentiore. Haec, quorum prima erat habenda ratio, iam me satis iterum exhausserunt. De sufficiendo reliquo subsidio, quae me alat spes, proxime aperiam. Nunc ad rem tuam vel potius ad rem Patriae per te curandam transeo, idque ex voto optimorum quorumque Virorum. Audi imperia mea. Sis ita obtemperato, vt secus indignationem te meam noueris incursum, vel Vaticano Fulmine multo grauiorem. Scis vehemenciam meam ad acres satyras, et immanes diras. Has in te vibro ferocissime si tardas, et Patriae, operam tuam poscenti, non illico succurris. Res agitur iam tibi saepe proposita. — Quae illa? Szuneritsium altiore iussu, audietis, puto, Quinqueecclesiis Inquisitorem esse in postrema dissolutae iuuentutis crimina. Is, antequam eo abiisset, iterum iterumque egit mecum, de Te ad petendum Superiorem Directoratum modis omnibus excitando. Indignatur superbiae et temeritati Balogianae. Pecus illud Jaurinense audet se monere, et huius opinionione, homo exilis; se tamen plenus, qui plane adorari affectet, crudus, sui impotens, rem omnem, si eo pertingam, ferocius versaturus; quam ille miscuerit, scis, quem dixerit, ille, — ille. Dente cruentus Aper, Bakonyiense Pecus, olim certe; nunc truculentius Pannonii Saltus Archi-Pecus. Addidit, se quidem volente hoc monstrum non eo euasurum. Haec

¹ Révay mindig a hazát tartja első sorban szem előtt.

tibi, sic fere expressa, ad amicas, et non perfluas aures. In te totus inclinát, vt iam et alios in te inclinasse dudum nosti. Hodie apud Pethõnem sum pransus. Et hic te votis ardentibus exposcit. Noli morari, noli deesse Patriae, noli campum amplioris fortunae negligere, qui hinc tibi certo patescet. Habes merita: opinionem nobilium de te Virorum fauentissimam. Et cultor, et arbiter literarum habetis eximius. Agendi dexteritas, requisita moderatio, et cumprimis prudentia singularis tibi ab his tribuitur. Primo itaque hoc loco stabis certissime. Stabis et postremo. Sentis enim intime, qua sis apud Patronum gratia. Non eget vlla mea hic opera. Conferam tamen omnia ex superabundante, vt dicimus, sollicitudine. Haec extrema cum ita conspirent, imum, et summum: quid tu de mediis dubites? Age, rem aggredere quantocius. Terminus est submitendorum ad Excelsum Consilium Supplicum Libellorum exitus modo labentis mensis. Paucos hos dies huc conuerte. Nil tibi deest. Nosti, nisi petenti, nihil cuiquam conferri. Pete, et habes: quia te ad petendum ii animant, qui dare possunt. Meministi, et me petere debuisse. Iterum imperio te vrgeo, eoque grauissimo. Si cessas, anathema tibi sit!!! Respirabunt sub te etiam Piae Scholae, quas magni aestimas. Horum quoque caussa paulo sum imperiosior. Haec raptim, ne sero sit. Ama me tui amantissimum. Propediem his plura, et alia. Saluto Thesiam: Budaë, 17 Augusti. 1802.

65.¹

Nicolaus Michaeli Suo Salutem.

Hoc ipso momento finiui literas meas ad Somogyium, Patronum Suauissimum. Iam ad te scribo. Respondi ad eius literas, plenas solatii, plenas amoris. Cape et tu partem huius solatii. De Operibus meis quam magnifice sentit! et quam me animat! »Azon szép Gyűjteményeknek kinyomtatását tellyes erőmből kész vagyok annak helyén eszközölni. Mentsen Isten! hogy illyen kintstől az Anyai Nyelvünk gyarapodása meg fosztassék. Ezzel teszi T. Úr maga nevét a' Hazánál halhatatlanná. *Mert miglen a' Magyar Nyelv fent marad, Révai Miklós is ékes Munkáiban mindenkor hálaadó indulattal fog említtetni.* De el nem marad az' más féle jutalom is, mellyet T. Úr a' legigazabb, és kegyesebb Fejedelmünk kegyelmétől, a' ki a' szép Tudományokat annyira becsüli, szereti, és elől mozdítani igyekezik, méltán várhat és kétség kívül el is veendi.«

Pethõni suo nomine detuli salutem, quem reuera iterum febrile deiectionem in lecto reperi. Obstupui, cum mihi, rem suam commendanti, retulit etiam Paulum Nagy, Ventum Albensem prensare hoc honoris fastidium. Adiuvi postea et Szuneritsium, Quinqueecclesiis reducem. Posteaquam audiuit ex me, te inditum esse ad porrigendum Supplicem Libellum, sic laetus exclamauit: iam salua res est! Angustiae illi erant; quid

¹ Az ezelőtt álló 64. számú levelet a melléklettel lásd I. Közleményemben, hol Révay Grammatikájának ügyét tárgyalom.

literis futurum, in Competentibus, pro hoc Directoratu. Ventus, Tumor, et Decrepitus. Rausch est hic, qui Pro — Directoratum resignavit, caussatus incommoda multarum scriptionum; et nunc Superius hoc Munus vrget, scriptionibus multo onustius. Sed notatur is etiam ab animo exaestuante, et tumido. Nullus horum aptus. Tu ergo. Dii Superi faxint quantocyus, vt te Elegia gratulatoria obruam. Literas meas, ad Patrum datas, terminavi per oratione pro re extemporali, currente calamo, ex abundantia cordis. Eam partem inde haec transtuli celeri manu. Iam incepti ergo, quod sum pollicitus: Age et tu, quae sunt agenda. Si quid rescripseris, literas Pestinum dirige; ibi certius percipiam. Ama me tui amantissimum, et vale, quam optime. Catharina mea sacratas tuas manus osculatur, et Theresiam salutatur, quam et ego multa cumulo saluto, grati mei animi teste, ob curas eius me aegrotante. Pestini 11. Szept. 1802.

Paintner Prépost Urat, én kedves Barátomat, tudom bizonyosán igen szereti Nagyságod. Nem tunyálkodik, mint sok más kövér Pap. Szereti a' Tudományokat olly annyira, hogy maga is azokban él. A' Tudósokat azért mint pajtásait úgy becsüli. Segítené is örömet, ha kitelhetnék Rátóti szük Uraságából. Méltóztatik emlékezni, mit akart tsak nem régen velem is tenni. Maga fogyatkozásával is 200 forintot kész volt már le olvasni első Darabom kinyomtatására. Nagyságod tanátslása volt, hogy kémélljem meg, és el ne vegyem tőle. Szép búzgóság az is benne: hogy a' Benedictinus Nevendék Ifjúságnak a' közjóra alkalmasabb oktatását hathatósan javasolta a' Fő Apát Úrnak; arra két jeles Férfiakat ajánlott, Tóth, és Spaits Director Urakat;¹ ide vezető Könyveket és sok szép Kézírásokat a' Jesuita kintsből, már előre oda ajándekozott; ennek felette a' maga bibliothecáját is nekik szánta holta után.² De másutt se vonja el magát a' köz jónak elő mozdításától. Nagyságod maga tudja, mi buzgó, mi szép rend tartó és egészen menyéi az ő fáradozása az Árváknak ügyökben. Az a' szép Tiszttség, mellynek ő a' Feje a' Veszpremi Vármegyében, már Felsőleges Helyekről is Ditséreteket érdemelt. Az ő buzgóságát például maga is magasztalta a' Méltóságos Úr Szala Vármegyében hasonló Tiszttségnek felállítása alkalmaságával. De mire valók mind ezek? Arra, Édes, Méltóságos Uram! hogy ezen Jeles Férfiúnak már egyszer térebb mezeje legyen buzgósága és tehetsége mutatására, a' Hazának nagyobb hasznával. Itt ötöt sokan a' Győri Fő Directorságra épen oda termettnek tartják. Tsak ezt az egyet ohajtották, hogy reá beszélhetnék az Instantia be nyujtására. Én ezt magamra vállaltam erőszakos móddal. Satyrákkal, és dirákkal fenyegettem, ha meg nem teszi, et vocanti Deo non cesserit. Vox enim populi vox Dei. Megtette már. Nagyságod ítélete bizonynyal egyez ezen jámborokéval; egyez akarátja is. A' Haza kedvéért tehát a' Hazai Ifjú-

¹ Tóth Farkas azelőtt jezsuita, azután a rend feloszlatása után a soproni főgymnasium igazgatója volt. Mikor a visszaállított benczés tanárok vezetésére bizott a soproni főgymnasium, Tóth visszavonult Pannonhalmára, hol tudományossága tanúi, kézíratai, most is láthatók. Spaits is exjezsuita volt és természetrajzi gyűjteményei ma is ékeskednek a pannonhalmi múzeumokban.

² Ezt a könyvtárat utóbb csak pénzzel tudta megváltani a rend.

ság jobb vezérése végett, tegye hathatosabb közben vetésével a' maga egyező akarátját egészen foganatossá; a' mikor ott fordul meg ezen nyomos dolog, et aliorum certe competentium humeris onus prorsus non ferendum. Nam qui isti sunt? Ventus Albensis, Tumor Jaurinensis, et Decrepitus Poseniensis, tortasse tumore etiam ingratus.¹

RR. D. Abbas Hertelendi iam assignavit mihi per Takátsium nostrum subsidium 25 florenorum; cui quam proxime gratias agam. Utinam et alii tantillo saltem succurrerent! Quod nisi fiat, mutuo debebo leuare 100 florenos; ut me cum decore illoceam, et duras venturac hyemis minas infringam. Multis egeo.

66.

Nicolaus Michaeli Suo Salutem.

Consilium tuum, Novákio datum, ex voto cessit. Accepi Wolfgangi nostri literas, quarum partem tua caussa exscribo. »Archiabbas Novák apud me fuit, animumque exploravit, eundem Viennae Patrono declaraturus, Facta iam transactaque sunt omnia: ego libros iam conuaso meos, ut iisdem curribus, queis vina et cetera Benedictinorum huc ferentur, eos, sic disponente Novákio, asportari ad montem Pannoniae curem. Scripsi etiam Patrono nuper, qui respondere, ut sequitur, est dignatus. Iam antea ab Illustrissimo Dno A. Abbate, nouissime vero e pretiosis literis cum solatio intellexeram, A. R. DVam institutionem Junioris Cleri Benedictinorum in se suscepisse. Rem hanc tanti momenti esse reputabam, ut Suae Celsitudini Regiae, A. Duci Palatino, opportune hic Viennae moram agentis, referendam existimauerim. Placuit res Suae Celsitudini Reae summopere; et tam A. Abbatis consilium, quam et A. R. DVae. assensum mirifice probauit. A. R. DVa nunquam utilius pro Patria facere potuit sacrificium, quam hoc vitae genus amplectendo.« Addit in fines, se usque ad finem huius mensis Sopronii inuentum iri, si quid illi scribendum habuero. Sed altum tacet de conditionibus. Hic audio illi ab Archiabbate pactos esse florenos annuos 1000. Puto etiam hospitium et victum. Quomodo enim secus in Monte Pannoniae esse posset. Fundus ergo literarius et hoc tuo consilio lucratur florenos 100, annuam Wolfgangi pensionem, quae illi subducetur facta hac mutatione.

Tanto me maior ac certior alia spes rerum suarum. Initiis quidem iam multum gratulantur amici nostri. Assumetur negotium, in Comissione, futura hebdomada. Amicorum hortatu, et mea etiam sollicitudine, te monendum puto; ut domo nunc prorsus non absis; aut si abesse debeas, ita rem omnem instituas: ut literis meis nullae ponantur morae, quin illico eos legere, et quae commendauero, ea pari celeritate agere possis. Amici enim, depromta iam prima opinione, suppeditabunt statim omnia, quae agenda esse putabunt, ad totum hoc negotium quantocypus superandum Competitores sunt, quos nosti, Rausch, Balog, Nagy: his auersis Habelhoffen, Vágújhelyiensis Herulus.

¹ Ezek azon sorok, melyeket levele elején említ és melyekkel Paintnert Somogyi udvari tanácsosnak kegyeibe ajánlani szándékozik.

Ego ad incitas redigor. Frustra imploravi opem Venerabilium Fratrum. Quid illis Musae? modo crumena turgeat in alios usus deteriores attenuanda.

Haec raptim. Plura quam proxime, quae ad rem erunt. Saluto Theresiam. Te amplector, ac disuauior. Vale quam optime, et me porro ama tui amantissimum. Pestini 18 Septembr. 1802.

Sed haec omnia sine strepitu, cum prudente silentio.

67.

Nicolaus Michaeli Suo Salutem.

Iam legeris procul dubio ex prioribus literis meis, neque me segnem in cudendo, dum calet, ferro. Intellexeris porro ex posterioribus, ventura quaedam Amicorum consilia, quae tu illico amplecti debeas, ut sis fortunae faber et ipse suae, ad *effectiuam*, ut ille ait, *praeferentiam*. Literas suas, quas ante has meas scripsisse videris, 12 Septembris, hodie primum 19 die percepi. Statim adiui Amicum nostrum Martinum: qui, audita tota epistola suam non modo salutem reddit cumulatissimam, sed etiam mandatis te onerat, strenue admaturandis, ne ipsi nobis defuisse arguamur. Ad reseruatam casum de Regentis officio, initio risit, deinde etiam stomachatus est. *Archimandritam*¹ in responso suo stultum esse aperte dixit. Hoc ille candidatis pueris suis scribere poterat, non Praeposito. Indignus erat tua fiducia, indignus et sollicitudine bonisque consiliis tuis de promouendo Instituto. Sed haec tu bonus ciuis Patriae, *non Pecudis causa* fecisti. Hoc te soletur. Utramque hanc umbram, et Comitum, et *Archibruti*,¹ auctore quidem Martino tu magnanimitate contemnes. Nec illa te somnia fatigabunt, de remouendo collega: nam scire te huius intentum prorsus non hoc esse proinde neque operam adhibendam, ut ille ab eo remoueat, quod non intendit. Praeposituram ille prensat, vel aliquid huiusmodi, quod pingue sit, et quo maciem suam expleat. Tu iam satis pinguis, et crassus, sed sensu velim phisica accipi, non morali, et huius Collegae opinione attenuandus proponeris molestiore illo officio, quod ille negligit. Martini certe opera et hic totus pro te est. Quia seris accipiantur literae Cursore Publico ad vos non satis ordinato; ne quid periculi sit in mora: Martinus haec scribi iubet iam hodie, quae tu fideliter imbibas, et agenda fidelius agas, Commissionem futura, 22 huius celebranda, tu certissime primus proponeris, cum summa commendatione. In te omnes inclinant. Hoc itaque futurum propter certitudinem omnino indubitatum, tu iam praeteritum perfectum immo perfectissimum habeto. Maturabitur expeditio, ut negotium hoc quantocumque Posenii sit. Tu ergo rei isthuc perfectissimae inhaereas et te illico Posenium conferas, ut iam 25 ibi sis. Brunszwickium, Consilii Praesidem adeas, ut vel persona tua momentum addas conspicuum, re parem esse officio per eminentiam in competentium grege non ita personato. Habebis occasionem et ceteras egregias dotes tuas exerendi. Adibis etiam Eszter-

¹ Archi — Abbas = Novák. Ezt a főpápot mindenféle czímmel illeti.

háziüm, et alteram illi curam eximes ingenue; te hoc solo officio rapi eminentioris boni caussa. Rauschius huc aptior putatur isthic a minorum gentium Diis, quibus magis, et melius notus est. Grauior aetate, etiam morbidus, itinera non feret, quae Superior Director habet conficienda. Offendet et Nationem nostram; quod ignarus linguae Patriae tali praeficiatur muneris. Iste unicus est, qui tibi obstare putatur, certe apud Lányium. Ad hunc tibi conciliandum te ad Szláviüm scripsisse *bene est*, sed non satis. Agas praeterea Posenii cum Majlátho Praeposito, ut ille apud Lányium pro parte tua maius addat pondus: etiam apud Fratrem suum, Deum fere Hungarorum, Status et Conferentiarum Ministrum. His rebus Posenii confectis, etiam Amicorum, Zsolnail, et Kunii auxiliatrice opera, ibis confectim Viennam. Ad Lányium adducet te Suavis Orator Szláviüs. Apud Patronum, et Majláthum ita es gratosus, ut nullo egeas commendatore. Ipse hos, et solus multo confidentius adibis. Non te expensae moueant. Consulere tibi potes, si apud Fratres condescendas in Theresiano, nunc utique satis vacuo. Scripsi Patrono. Sed scribam iterum, ut *propensionis effectiuam praeferentiam* in te inclinet prae Rauschio. Nam ceteros non moror. Argumenta suppetit mihi amor tui, et Patriae, charitas. Haec ego liberius adducere possum pro amico perorans. Tu propter modestiam non itidem potes. Adgrediar vero et Szláviüm iisdem argumentis, ut vel apud amicum pudori tuo parcatur. Haec, dum Viennam veneris, omnia ita acta esse comperies. Et Martinus, et ego, futuri speciem, quasi praesentem cernimus; ita nos animat bonae caussae fiducia, Atque ea est caussa, cur ita feruide, ita mature omnia agi velimus, ipsique agamus. Vale, Suauissime! et me ama. Budae 19 Septembr. 1802.

Exemplar Epistolae ad Szláviüm, quam iam paraui, et certo mittam post Commissionem.

Magnifice! etc. Ego in re mea nunquam tibi molestus eram per literas. Nunc id primum tento, neque tamen in re mea, sed tui, et mei amici caussa. Adduco pro eo impensius perorans quaedam argumenta, quae ille propter modestiam non itidem potest. Putaui hac ratione vel apud amicum eius pudori parcendum esse. Amicus, quem tuum, et meum dico, *Paintner* is est: cui tu olim, laetitia exultans, maturato itinere, nocte concubia, crucem attulisti, honorum exordia. Hac ille cruce insignis quam egregie inseruiuerat hucusque Patriae, tu ipse cum solatio saepe intellexisti. Poterat ille *more ceterorum in otio delitescere*, rebus tamen suis intentus pecuniam coaceruare, et se distendere. Abhorruit tamen ab hoc vitae genere. *Literarum amicus literis se impendit, colendisque literatis*. Utilem se praeterea, praebuit etiam rei communi, quacunq; occasio data est. Quot habet excellentes dictiones, variis solennitatibus cum sui commendatione elaboratas, non paucas et typis excusas? Quam egregia, quam frequens eius opera adhibita in publicis Comitatum negotiis? Inter haec immortale est eius meritum apud Veszprimienses in orphanorum re integerrime administrata. Pro exemplo sumta est huius pii officii ratio vel ab Excelso Consilio. Idem institutum sanctissimum dum Somogyius noster apud Szaladienses introduxisset, Vesz-

primiensium ratione pro norma sumta, non satis potuit Paintnerum nostrum laudibus effere. Obsecro te, ut huius virtuti tam excellenti campum patientiorem, qui nunc bonorum votis panditur, et tua omni opera reddas additu faciliorem. Est is Superior Directoratus Jaurinensis. Commissio Literaria, hac in re pro Paintnero stat tota. Stabit, ut spero, et Excelsi Consilii opinio. Suavis et tu quidem Orator; sed nunc suavior esto amici caussa tam conspicui. Fac, ut illum Lányius intimius noscat. Interpella apud Somogyium quoque, tuae suauitatis aestimatorem suauissimum. Dissipa praeter ea, quae illi obstare videntur in competente Rauschio. Hic annos numerat publicorum laborum: Sed ad munus, quod petitur non annorum facit numerus, verum facultas id recte gerendi. Multos vos habetis Scribas in officio vestro annorum numero memorabiles; an ideo Praesides eos creabitis? At Rauschius insuper deprecatus est munus Prodirectoris propter molestiam scriptionum: quomodo Superior erit Director in cumulatioris scribendi et rescribendi necessitate? Quomodo feret itinere incommoda aetate grauior, et morbidus? Quam gratus esse poterit Hungaris in hoc officio publico sermonis patrii ignarus fortasse etiam contentor? Accedit aliquid, quod hic mussitatur ab iis, qui ipsum propius norunt, et quod a Superiore Directore abesse debet, animus pertinacior, sui iuris, in subiectos asperior. Quid literae meruerunt ut iis flagellum iterum immineat, *fere simile Novákio*? Insigni et in Patriam pietate: illi et hac parte consultum esse cupit. Consules vero, si pro Paintnero perores: qui inter competentes et huic antecellit, qui aliquid ponderare videtur; et alios minores tanto maiore interuallo post se relinquit. Iucundum tibi erit, qui amicitias egregie colis, te et de amico praeclare meritum fuisse. Vale. etc.

68.

Nicolaus Michaeli Suo Salutem.

Nondum sciui certum ad vos cursum Veredarii publici. Abit is hinc die Jouis, et Domini. Die Domini, 19 huius, sero scriptam ad te epistolam haerere oportuit ad hanc vsque diem. Hodie altera adiungitur. Prior scripta est illico, vt Amicus noster voluit, de re tunc futura adhuc, sed tamen certissima. Addita mandata, quae tu fidelissime exequi debeas. Ista posterior scribitur de re iam acta et certissima, vt praedictum est! Habe omnia breuibus. Tu, conspirantibus, et consentientibus omnium votis, primus es propositus, *cum tubis, et tympanis*. Amici sunt haec verba. *Sípvel, dobvel, trombitável!* Duo te postea sequuntur, sed non tanto cum strepitu; Decrepitus Poseniensis, et Tumor Jauriensis. Amicus noster, quia nouit, quanta isti mouere possint, Tumor praesertim, etiam affinitatis fiducia, quo patrocínio est, vt nosti, Canonicus factus, valde te vrget, impellit, obsecrat: vt neque tu cesses, neque tu desis tibi ipsi, non nobis pro re tua ita feruentibus, non occasione ita vndique fauenti. Exhibeas te videndum Poseniensibus, idque illico, ne postea sero sit. Habes mandata reliqua in literis prioribus. Statim et Viennam excurras. Vendas tunicam, si secus nequeas, et tamen Viennam eas, ita

Schwartner, nostrae Bibliothecae Custos, loqui solet. Sed vbicunque fueris, et rem tuam egerit, dissimules te scire fauentissimam Budensem candidationem. Amicus enim non vult prodi. Ego motus, quos coepi, strenue continuo.

In Comitibus audio Patres pro Scholis Piis egregie agere, consensione, quod mirere, incredibili, et maiorum, et minorum. Vnicus de Clero Venerabili obstrepere ausus est principio; sed illico obrutus meliorum acclamationibus conticuit et iste. Nunquam putavi hominem adeo sanctum, vel *simplicem potius*, ita nobis inimicum esse. Est is Tabulae Praelatus, *Leopoldus Somogyi*. Sed *per hunc asinum*¹ puto angelum locutum fuisse tenebrarum, et extremae malitiae. Illum intelligo, qui et prandia sua concitatoriis huiusmodi cupediis onerare solet, quae tu Posonii vel nouissime insigni cum virtute dedignatus es. Crede autem et ab Archibruto virus aliquod instillatum fuisse. Iam vndique ferociunt *isti assini*, satisque calcitrant, in despectos Scholopios, *et nigri, et candidi*, et variegati fratres minimi.² Vide quam male repressa sint mea carmina, Paulum imitata, ad Corinthios loquentem. Non possum talia non cum dolore audire.

Si quid extorsisti a Kapuvárió, committe quantocyus simplici epistolio, vt me subleuem. Reuera valde egeo, *Háza égett szegény a' nagy költözés miatt, Új gazda, a' szörnyű nagy drágaságban*, imminente hyeme quid agam? quo me vertam? iterumne debitis me onerem? Posonii pulsa, quantum pulsare potueris et reliquos duos, Nedetzkyum, sed cumprimis Zsolnaium.

Sed haec satis habe. Me negotia auocant. Vale quam optime. Rem principem cura, vt nos caramus modis nostris omnibus. Fuge Posonium, inde Viennam. Properato opus est. Iterum vale. Pestini 23. Septembris, Anno 1802.

69.

Nicolaus Michaeli Suo Salutem.

»Res est solliciti plena timoris amor.« Nosti Quintilianum hunc versiculum. Martinus, et ego, multum te amamus. Et merito. Mire amamus et patriam. In huius commoda te, egregiis dotibus insignem, promotum esse cupimus. Tentauimus omnia, quae per nos agi poterant. Nec tu tibi et nostris votis, defuisti; nisi, quod nos ex nimia sollicitudine volumus, tu faciendum non iudicaueris; vt Posonium, Viennamque, prae-

¹ *Somogyi Lípót* több szombathelyi püspök ugyanezen esztendőben (1802) adta ki alkalmi beszédét a pannonhalmi sz. Benedekrend vissza állításának ünnepeére »*A Magyar Sióznak ujonnan való felépítése*« cím alatt. Révay versben, Somogyi prózái beszédben szerepelt ez ünnepen; a költő a szónokkal még sem tudott rokonszenvezni. Somogyi annyira kedvelte a benczéseket, hogy *Dr. Mollik Tóbiás* tudós bencze író 1807—1815-ig mint püspöki könyvtárnokot udvarában tartotta.

² Csodálatos módon fejezi ki rokonszenvét azon piarista rend iránt, melyet máskor annyira, a saját átkának mond és a fekete és fehér papok (benczék és premontreick) ellen székségesnek látja saját rendjét védelmezni.

sens putares.¹ Nouimus, quid saepe importunitate efficiant homines prorsus non digni fauore potentium. Anxius sum. Nihil audio, nihil scio; nisi quae tu scripsisti, quae Martinus narrauit. Tumor Jaurinensis exposulauit cum hoc viro per literas; quod in Commissione non fuerit respectum ad merita sua. Etiam Mercurianus, huic magis addictus, doluit hunc tibi postpositum fuisse. Sed postpositus est et Posoniensium voto. Quid Dii Viennenses agunt? Obsecro te, libera me sollicitudine mea, vt primum quidpiam rescueris. Mihi nemo scribit. Non te intelligo, quid tibi collibitum fuerit de pecunia iocari. Illa me non feriunt. Sed neque in te regerere possum. Nam, vt me, et te probe noui, neuter nostrum ita abripimur vilis metalli fulgore; vt illi cor animumque omnem affigamus. Sic docti sumus, et sic vitam instituimus; vt omne aurum, argentum, et chartulae, horum vicariae, ornatibus circumscriptae, ad compensandum horum fulgorem, temperato splendeant vsu. Vide autem quanta nunc desint vel temperato huic vsui, temporum, et auarissimorum hominum iniquitate! Enormia sunt rerum pretia. Ego praeterea nouus hospes, nudus; imminens hyemis terror, et cetera, quanta poscunt! Aere me alieno si onerem, impeditior sum futurus ad literarum occupationes, quae animum volunt curis solutum. Hos itaque rogandos putauit, quibus fortuna fauit, vt illi itidem mihi faueant. *Hertelendus* non defuit, neque *Kapucárius*, cui hodie ago gratias, et te etiam nomine meo volo agere quam maximas. In *Nedetzko* nulla tibi est spes. Tentabo iterum et hunc, et *Zsolnaium*.² Tu quoque non erubeas verba facere mendicantis pro mendico, *Patriae vili*, laborioso, meliore fato iam dudum digno. Imprimis *Zsolnaium* tibi commendo.

Vniuersitatis Typographiae, vel potius Rectori eius multa mala imprecor. Homo per literas promotus literarum est oppressor. Dudum queruntur Collegae, nunc et ego queror. Vilibus conditionibus, aliisque impedimentis tardatur editio manuseriptorum meorum; pro quibus Patronus Regis Clementiam exorauit. Eripiam me his pedicis, et aliam inibo viam. Vt aliquid videant illi cumprimis, qui meos conatus aestimare non norunt, etiam Martino consilium meum probante, edam proxime aliquid hoc titulo: *Prodromus elaborationis Grammaticae Hungaricae, continens Excerpta Quaedam, eorum gratia, qui huius operis desiderio tenentur, specimenis instar in antecessum edita*. Inscribam vero: *His* et *His*, etiam *Tibi* inter hos.

DOCTIS . IPSIS
 ET . DOCTORVM . AMICIS
 OB . AMICA . SVBSIDIA
 IN . REBVS . ARCTIORIBVS
 PROMTE
 AC . LIBERALITER . SVPPEDITATA.

¹ Mennyire óhajtja, hogy Paintner a győri főigazgatóság ügyében lépéseket tegyen! Révai nagyrabecsült Maecenása érdekében minden tőle telhetőt tesz. Erre vonatkozólag mondja Guzmics: »Csak jó az embert megbecsülni, ha köldűs is; nem tudjuk, mikor emelkedik fel és mit fog részünkre tehetni.« Tud. Gyűjt. 1830. II. k. 34 l.

² Az oszlopos veszprémi kanonokoknak még nem mindegyike segélyezte.

Vindicabo me satis de Nedetzkió. Nam, si auarus perstiterit, inter *Hos* quidem non est futurus. Egregia scilicet vindicta! Audio te haec mihi reponentem: Nil moror. Erit tamen vindicta; nam et auari sentiunt quandoque, praeter aurum, et honoris punctum.

Hoc, quod sum editurus, legi Martino per duas horas solidas. Totus in admirationem raptus operis pretium laudare non suffecit. Tale ait, de quo alii ne somnare quidem sciunt. *Linguae adyta aperio, ad quae profani, auari, cantatricum amici non penetrant* — neque *pinguiculi crucati* — sed macri, attenuati, halecum socii, ob adituum angustos anfractus. Sed, heus tu! quid mihi ictum reddis tam propere? Dum alium memoro pinguiculum, quid te intelligis? Tu non es de hoc numero. *Singulare phaenomenon inter crucatos!* qui lectitas, qui scribis, qui pangis talia, quae ipsa Aesthetica tantis effert encomiis! Bibliothecam tuam non attingo; *nam et alii habent bibliothecas, sed otiosas.* Tua si tangi debet, et te laudari oportet. Nam tu libros tuos non numeras; sed voluis, peruoluis, et euoluis. Vide, vt me vel egentem iocari delectet. Theresiam saluto. Te amplector, et deosculor, cogitatione certe tui viuissimum. Redama me, et vale quam optime. Pestini in Museo meo. 4. Nov. 1802.

70.

Nicolaus Michaeli Svo Salutem.

Suspensum exspectatione rerum nostrarum piguit me scribere. At nunc iam salua sunt omnia: quare silentii mei finem facio. Abhorruisti, neque immerito, ab officio tam molesto, tamque ingrato. Ab hoc ergo liberatus es cum decore. Aemulo enim Rauschio, qui et Directoratu, et Canonicatu Poseniensi ornatus est, vltro cedis et aequissimo animo, propter conspicua eius merita. Vides autem et alterum, multumque rides vna nobiscum, ferocientem ambitione, humiliter tamen serpentem sub togis vilium foeminarum, recidisse cum insano tumore suo in Acheronta; quem minis ingentibus mouere voluit, cum Superos flectere non potuit. Furit nunc ille, et infremit, dentibusque stridet, vt damnatorum animae: tu contra, multo moderatior, et aequior in petendo, tranquillus degis, porro etiam Patriae vtilis in Prouincia tibi dilecta, et tui vicissim quam amantissima. Reseruas praeterea honorificam istam candidationem in vsum meliorem futuri temporis. Non itaque te poeniteat competisse.

Martinus noster eadem est de te sententia; eadem propensione in te sua opportunitatem tacitus praestolatur. Reddit et salutem aequae cumulatae; addit et vota pro felicissimo noui anni et exordio, et decursu. Haec et ego repeto versiculis expressa, et Munificis Patronis meis eodem leui plectro decantata. Tu, et illi, aequi bonique consuletis haec tenuia conanima mea. Grammaticae lites, quibus nunc totus sum immersus, ea cunctiora esse non sinunt, me satis ingemente.

Felix auspicio bono
 Annus te recreet nouus;
 Et iam pronus ad exitum
 Jucundos properet dies;
 Et multa serie redux
 Cursu sospite vergat!
 Pulchris vsque benignior
 Coeptis, incolumi tibi,
 Factis grandibus inclyto,

In Regem, et Patriam pio,
 Virtute, et meritis tuis.
 Dignos reddat honores!
 Quos Musæe celebrent, tuæ
 Testes munificentiae,
 Et testes animi boni;
 Quamuis exiguae, tamen
 Sinceras memori lyra
 Promptae solvere grates.

Aegerrime fero Pestinensium nimiam auaritiam: per quam exordia rerum mearum tam ardua habeo. Periuissem, nisi benigna Dei prouidentia bonorum Virorum corda permouisset, vt mihi succurrerent. Accepi iam et ab Illustrissimo Episcopo *Zsolnaio*, et a Reuerendissimo Canonico *Nedetzki* liberale subsidium, 30 florenos singillatim ab vtroque; quos mihi tradidit Reuerendissimus Abbas Rostius. Et istos posteriores, et priores Benefactores meos, velim, tu etiam multum reuerearis meo nomine, oblata bona occasione.

Lauda publice, et ad sidera effer, Reuerendissimi Michaelis *Dongó*, Canonici Jaurinensis, affectum in me omnino paternum: qui mihi subsidium misit insperatum, et arduis rebus meis perquam opportunum, florenos 200; vt minus adhaererem in bonis coeptis meis, hoc praesertim tempore tam iniquo. Hoc est enim et huius Viri optimi votum, quo et tu flagras dudum: vt ad Patriae vtilitatem, omni molesta cura liber, literulis alacrior vacarem.

Sed doleo hanc praeclaram summam auarissimo Pestinensium baratro iam absorptam esse. His enim auxiliis viuere debui menses iam quinque, etiam supellectili modesta satis instructus, aduersus hyemem probe munitus, et valetudine optime firmata. Rerum pretia aestimes ex solis lignis. Horum orgya ad ripam Danubii est florenis 12. Dum ad hospitium vehitur, dum finditur, adscendit ad florenos 14, vectura, et operis aequae insane exaggeratis. Salarium nondum leuauit propter pigram Budensium manipulationem in assignatione ad Solutorium Officium expedienda. Spectabo patienter, quousque duratura sit haec malitiosa negligentia, quae apertum prae se fert vexandi studium.

Si tempora essent mitiora, nec mihi nouo hospiti supellex fuisset comparanda; subsidio *Dongó*iano potuissem rerum mearum editionem inchoare. Conueni cum *Trattnero*, Typographo Pestinensi, Viro Optimo; vt me Vniuersitatis Typographiae vexationibus eximerem, Directore imprimis *Lakitsio*. Sed et *Trattnerus* pecuniam vult saltem aliquam in accessum numerari. Hanc ego iam non mendico, sed mutuam peto, te praecipuo valde. Obsecro te, procura mihi mutuos florenos 200, si hos ipse suppeditare non potes. Repondam illico, ut primum subsidium a Clementissimo Rege mihi benigne resolutum fuerit.

Meministi, commendatam fuisse ab Augustissimo rerum mearum editionem. Excelsum Consilium per Magistratum Academicum petiit a me sumtum rationem. Ego, ne nimia summa deterrem pronos in me animos; iudicaui petitionem meam moderandam esse. Oraui ergo demisse, vt mihi sumtus benigne decernantur ad edenda duo tantum prima Volu-

mina mea: hoc me beneficio contentum operam postea daturum esse, vt reliqua Volumina ex horum reditibus sensim in lucem prodeant. Reseruauit hoc pacto proprietatis ius meum ad labores meos. De Fundo agebatur, vnde mihi succurratur. Rem tandem superauit. Lakitsius, etsi initio multum reluctatus, postea tamen mitiore in me studio, certe propter Somogyii auctoritatem, vltro cessit de Fundo Typographiae florenos 1000, quos petii exhibita ratione cum Trattnero inita. De his nunc Opinio Excelsi Consilii Viennam mittitur. Scis rerum cursum. Ante tres menses vix obtinere Resolutionem. Interea vero Volumen certe vnum ederetur, si Trattnero aliquid pecuniae numerare possem.

Maturato mihi opus est; vt Publici exspectationem sustineam; vt postea etiam salarii augmentum vrgere possim labente hoc anno scholastico. Nam vsque ad autumnus ferias tria certe Volumina, si non quinque, quae animose meditor, edita esse volo. Haec tu cordi sumes propter commodum cumprimis Patriae, deinde et mei caussa.

Saluto Takátsium, et Rostium Abbatem. Cum nouo anno fausta omnia precor fidelissimae tuae Oeconomae Theresiae. Vale quam optime, et me redama tui amatissimum. Pestini 30. Decemb. 1802.

71.

Nicolaus Michaeli Sno Salutem.

Ita me perplexum reddiderunt literae tuae: vt vel tanto etiam tempore non satis sciam, quid tibi rescribam. Quid tu ais de Patrono meo, non iam tuo? Angit me, quod in hoc mea etiam imprudentia aliquid peccatum esse arguas. Literae tuae ita erant scriptae omnes: vt indolo illi tu quidem semper pulchre peperceris. Bis memini te de eo notabilius scripsisse; sed et tum clare visus es, vulgi potius, quam tua sensa memorasse; neque ipsum, sed fratres, disciplinae impatientes, notasse. Cum haec sit et Patroni de his sententia, quomodo ipsum his offendere potueris, non capio. Immo si quem te cumprimis praeclare meritum ipse vltro agnouit, tam de ordine, quam de ordinis Praeside, qui tot litteris tam sollicite egeris ipse, et per me agi volueris; ut Tóthius noster induceretur ad illud vitae genus; quod illi quomodo nunc cedat, non satis scio; et multae mihi sunt angustiae, ne et ille mihi tacite oggerat, haec ingrati Spartam suam, quam et Budenses satis grauem volebant reddere. Utinam non fuissem his tricis inuolutus! Quidquid egi, pie equidem egi et in hoc, et in tuo negotio. Sed hoc mihi vix vllam adfert moeroris leuationem. Suspicionem infausta, quae tibi nescio vnde oboriri potuit, turbata est tranquillitas mea; imminuitur in dies fiducia erga ipsum etiam Patronum, cui iam dudum aequae nihil scripsi. A quo tamen omnem hanc tristem suspicionum nubem amotam esse vellem. Nam plura suppetunt argumenta, et ea quidem certa, et explorata: quae propensum eius in te animum clare loquuntur. Vide, an non potius Eszterházius rem miscuerit. Plus ille sollicitus est de Rectore Conuictus Jaurinensis, quam de Superiore Directore Districtus Jaurinensis. Scis illum etiam Viennae fuisse.

Die 22. Januarii a *Klobusitzkio* accepi donum, et subsidium, a te mihi tam amice suppeditatum, florenos omnino 60.¹ De reliqua pecunia, mutua danda, ipse vltro praeoccupavit, negatione rotunda. Cui doleo hac in re pulchras literas fuisse a te scriptas. *Ego Pium Sacerdotium experior Musis inimicum; Eos, qui minns sunt Pii, amiciores.* Tetricum illud genus fugi dudum; vos colui, et colam semper. De altero hoc, et priore illo Poseniensi munere, gratum me experieris; vt es semper expertus etiam de superioribus. Ardua habeo initia, et temporum, et hominum iniquitate. Perfer, et obdura: multo grauiora tulisti. Dabit Deus his quoque finem. Peribunt inglorii aeris corrassores auarissimi; qui nunc tot pauperum aerumnis ditantur, exaggerato rerum omnium pretio iniquissimo. Plaudunt nunc sibi pecuniam pluere, non venire, vt antea. Sic pluat illis et Dei ira! per quos tam male est immerenti humano generi, cui siccus panis lacrimis madescit.

Felicissimam, habui hyemis partem potissimam, quod liber fuerim a solitis meis affectionibus, praesertim in capite. Februario mense ad finem vergente non tamen effugi omnem ictum. Aureae venae molestiam tantam experiri debui, quantam nunquam antea. Lecto me affixit. Nudus tertius sensi leuationem aliquam, vt hodie aliquomodo consurgere poterim; et has ad te literas tentavi exarandas cum multa difficultate, vt sedarem angustias meas. Vale, et me tui amantissimum ama. Pestini, 9. Martii 1803.¹

FÁBIÁN GÁBOR LEVELEI ÉDES ALBERTHEZ.

— Harmadik közlemény. —

X.

Arad, augúst 1-én, 875.

Szerelmes Albertem!

Hát! ha tülem nem jó tüstént leveledre a válasz,
Már félsz, órron hogy félreccavarta ez, az?
Ó te szegény flautás, ki felőlem fölteszed azt, hogy
Én az üres szavakért megharagunni tudok.
Ismerem a haragot — hisz az én májam se kemény kő,
Melylyen kénye szerint fenje fogát a kaján.
Férfias az: nyílt tényeken indul s nem, hiu ábránd
Vak bolygótüztől hagyja vitetni magát:
S melly létezte jelét nem úgy adja, miként gyerek és nő,
Hogy némán duzzog, rejtve szívébe buját.
Ámde a sikra kiszáll — nem hol gladiátori vér foly:
Vív a palaestrán, hol fegyver a toll, meg az érv.
S ott a ki megsérté, jól megszabdálja: barátját
Nem soha, mint ki felét sérteni képtelen is.

¹ Ez az 1802. évi december hó óta az első levél. Abban kölcsön kért Paintnertől 200 frtot és vagy ez a folytonos segélykérés, vagy mint ebből az újabb levélből látszik valami más félreértés szakította félbe a két jó barát szellemi érintkezését.